Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1427

Quelle:
Copyright:

veritatis inquirendæ, qua in re te non imparem Illuſtriſſimo Oratori ardere perſpexi ſemper, id quod, ut cellulam noſtram nonnunquam adeas, excitat. Vides *Oratorem* a *Bartono* diſtingui; atque id ſervit ad magis elevandas quorundam Itinerantium relationes, de quibus *Arnaldus l. cit.* jure conqueritur. Sed demus initium Epiſtolae: *Diu multumque dubitaui clariſſime Eduarde, an ad ea me impellerem conſcribenda, quæ de Sacræ Euchariſtiæ Sacramento tam anxie a me quæris: cum illuſtriſſimorum hominum ſatis extent ampliſſimis tradita literarum monumentis* &c. Ordo tractationis hic adoptatur: *Quid ad hunc usque diem ex dei uerbo ſenſerit Eccleſia, proponendum, deinde quæ contra ſolet amplitudo tua ex doctrina ueſtratium, ipſique adeo ueſtrates afferre, exponendum; poſtremo quicquid repugnare rationi pietatique viſum fuerit, explicandum.* Variis igitur primum diſputatis concludit: *Cum igitur panem ex Dei uerbo corpus eſſe conſtet Chriſti, vinum ſanguinem: carnem Chriſti ex Dei uerbo ſatis conſtet uere eſſe cibum, ſanguinem uere eſſe potum; ex uerbo Dei credimus panem eſſe carnem Chriſti uere non ſymbolice cibum fidelium, vinum eſſe ſanguinem vere non ſymbolice fidelium potum.* Καὶ ταῦτα, ut ſe ipſum explicat in Epiſtola a *Renaudotio ſupracit.* edita p. 103. τῇ δυνάμει καὶ ἰσχύϊ τῆς Μετουσιώσεως, *atque haec virtute et potentia Tranſubſtantiationis.* Ad Adverſarios deinceps refutandos ſic ingreditur: *Luterus ab hac uniuerſalis Eccleſiæ doctrina ac fide longe recedit.* Et iterum: *Verum Caluinus longius Lutero de eccleſiæ Catholicæ doctrina fideque recedit* &c. Ut autem in hoc Dogmate cum Latina Eccleſia ſenſerit Noſter, in aliis tamen vehementer diſſenſit, ut ex ejus Scriptis patet, quae videre eſt apud *L. Allatium de perp. Eccl. Or. et Occ. Conſenſ.* L. III. c. 7. apud *Adr. Regenvolſcium Hiſt. Eccl. Sclavon.* L. IV. apud *Demetr. Procopium Moſchopol.* in *Fabr. Bibl. Gr.* T. XI. p. 770. Epiſtola noſtra ad *Bartonum*, quod obſervatu dignum eſt, data eſt eodem *anno* et *die*, qua praevia illa ad Oratorem Caeſaris, ut adeo huic etiam de ſua Doctrina, ſuoque cum *Anglis* commercio conſtare voluerit *Meletius.* Notitiam cum his Viris contraxiſſe videtur e frequentiore *Conſtantinopolim* acceſſu; erat enim Sedis hujus Ἐξαρχος ſive Cauſſarum eccleſiaſticarum Arbiter. Patriarchatu *Alexandrino* potitum fuiſſe jam ante an. 1585. tradit in *Pandect. Hiſt. Turc. Leunclavius*, ſed vidimus eum an. 1588. ſolum *Archimandritam fuiſſe*; itaque *Sylveſter* anteceſſor ſaltem ad hunc annum vitam produxit, quod ignorabat *Lequienius*, quem ceterum de Noſtro adi *Orient. chriſt.* T. II. *col.* 503. Praeter Linguam gr. et lat. *Arabice* et *Ruthenice* doctum fuiſſe *Codici* praenotavit *Tengnagelius* ὁ μακαρίτης, quae illius fide.

CCCLXXIV.